




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-557165-p0001-3

DFG



POSITIONUM CONTROVERSARUM,
EX JURE FEUDALI,
&
**MATERIA DE JURE VA.
SALLI IN FEUDO, IMPRIMIS**
SUBINFEUDATIONE ET RE-
FUTATIONE.

depromptarum ,

D E C A D E M

P R E S I D E

ERICO MAURITIO,
U. J. D. & Prof. Publ.

disputandam proponit

VOLFGANGUS HEINRICUS Brindmann,
Norimbergensis.

*Ad diem Julii ,
horis consuetis ,
In Auditorio JCtorum.*

T U B I N G A E ,

Typis JOHAN. HENRICI REISIL.

ANNO M DC LXV.

1665/12

31



СУРАХАННОГО МАСТЕРСТВА
СТАРИННЫЕ

10 JULY 1942

COLLECTED
2000-2001

Qui s'ouvre à l'imagination





I.

Hesaurus in fundo Feudali inventus, cuius sit, non convenient Interpretes. Si à Vasallo repertus sit, totum ad ipsum spectare, sin ab alio, ex parte dimidia inventori, ex altera Vasallo deberi, nec quicquam inde ad Dominum directum pertinere existimant, Alvarottus, Rosenthal, Wensembeius, Paulus Christinæus, Ritterhusius, Carpzovius in *Jurisprudentia Forensi*, Niellius Struvius. Inventori contra, & Domino directo, vel huic, si invenerit soli, excluso Vasallo, Gilkenius, Harprechtus, Bocerus, Daniel Otto, Carpzovius a se ipso dissentiens, in *disput. Feudalibus*, Ludwellus, Finckelthusius, Suevus tribuunt. Martinus Bonacina rem ita explicat, ut partem dimidiæ Inventori, si alius à Vasallo, & Dominus sit, alteram dimidiæ duobus Dominis, Directo, & utili, (vel Vasallo,) tribuat. Nobis, illis in locis, ubi thesauri Principibus nondum addicti, (quod in multis locis factum, ex Arnisæi, Grotii, Vasquez Bonacinæ, Christinæi, Struvii observatis patet,) ex receptissima observantia admittendum Vasallum cum inventore, excluso Domino videtur; cuius præcessos, testes habemus sufficientissimos, Cardinalem Lungenem, Carpzovium & Schultzium.

II.

Si quis mansum (ut loquitur Feudista) in genere,

A 2

nulla

nulla addita restrictione, in Feudum concederit, accessiones naturales ad Vasallum Jure Feudi pertinebunt, nulla distinctione, incrementa sint latentia vel discreta, ut vocant; quod Jacobo de Belviso & Mozzio visum neque an sint solita vel insolita, quod voluit Baldus, Capcius, Rosenthal; sed simpliciter, qualiacunq; sint: ut recte Suevus & Struvius judicant. Quin nec eo nomine ad novam investituram adigi potest Vasallus: docentibus Bocero, Rittershusio, Schradero, Gothofredo Antonio, Carpzovio, Scultzio, Finckelthusio, Suevo, Dn. Struvio & Dn. Ludvvello.

I I I.

Dominium utile, quale est etiam illud, quod Vasallo in re Feudali competit, impugnant quidem Cujius, Donellus, Borcholt, Bronchorst, Vulteius, Gilkenius, Ludvvellus; sed communem tamen Doctorum de Dominio hoc sententiam, rectè nobis, etiam ex Juris nostri autoritate tueri videtur, & reliquis accuratijs, Franzkius in Tractatu *de Laudemis*.

I V.

Servitutem fundo Feudali imponere posse Vasallum negant, Curtius Junior, Vultejus, Johannes Rudingerus. Nos id ita simpliciter non admittimus. Vasallum enim servitutem feudali prædio imponere posse, eam tamen perpetuam non esse, & in ipsius saltem non Domini & agnatorum in commodum cedere, rectissime statuere, post Baldum, Alvarottum, Andream de Ifernja, Hartmannum Hartmanni, Rosenthalium, Rittershusium, Hunnum, Arumæum, videntur è recentioribus Scultzius, Finckelthusius, Struvius, Suevus, Ludvvellus,

Pacto

V.

Pacto expresso Investituræ adjecto de non alienando, an subinfeudandi facultas (quam aliquin etiam in vito Domino ei concedēdam, quicquid contra disputet Hottomannus, non dubitamus) adempta erit Vasallo? Ademptam vult, Baldus, Alvarottus, Jacobinus de St. Georgio, Bartholomæus Camerarius, Curtius Junior, Wesembecius in consiliis, Zasius, Jeremias Reusnerus, Schraderus, Rosenthal, Kohl de subfeudis, Rittershus, Borcholt, Ernestus Wilhelmus Vogelius Inaugurali disputatione de Jure subfeudi, sub præsidio Dn. Wilhelmi Lyseri habita, Wilhelmus Crato, Burggravius de Kirchberg ac Dominus in Farnroda, in discursu Juridico de subinfeudatione, Gießæ sub præsidio Magnifici Dn. Johannis Helvici Sinold cognomento Scutzen habito. In contrarium concedit Vulteius, Gothofredus Antonius, Dn. Ludvvellus, quam & disputatione Juridica de Subinfeudatione Argentorati habita defendit Sigismundus Horlacher. Nos pro prima stabimus, quam communem esse, non solum Dn. Scutz observat, sed & fatetur ipse Dn. Horlacher.

V I.

Non vasallum solum, sed & subvasallum (ut vocant) aliū, subinfeudare posse satis in expedito est. Non item an & ulteriores in infinitum: quod textus hic pugnare videantur, & interpres in diversum abeant, Jacobus de Ardizone, Præpositus, Rosenthal, Schrader, Gothofredus Antonius, Ludvvellus, Klockius in consiliis, Wolfgangus Crato Burggravius de Kirchberg, Ernestus Wilhelmus Vogelius, ac Sigismundus Horlacher disputationibus

A 3

tationibus

tationibus Giessæ, Wittebergæ & Argentorati de Subinfeudatione habitis, in infinitum locum subinfeudationi faciunt. Bocerus distinguit inter Regale Feudum & non Regale: in illo subinfeudationem ad tertiam usq; personam, non ultra, admitti vult, in Mediolanensi curia tamen etiam ad quartam personam extendi potuisse putat: In Feudis autem non Regalibus, in infinitum procedere fatetur. Obrechtus simpliciter subinfeudationem in infinitum non admittit; sed in tertia persona adhuc, non etiam in quarta, eam legitimam agnoscit. Nos citra distinctionem, è tribus his sententiis, primam probamus, quam & generali Doctorum asserto niti ad ducti autores probant & notavit jam Dn. Horlacher.

V I I.

An Feudum Regale in subfeudum rectè dari possit quæritur? Partem ejus posse in subfeudum dari concedunt, ita tamen, ut id de toto negandum existiment, Kohlius in tractatu de subfeudis & ibi allegati, eosque secuti Jeremias Reusnerus, Dn. Struvius, & Ernestus Wilhelmus Vogelius in disputatione de Jure subfeudi: contra totum subinfeudari posse pro parte non item, Schraderi, Hunnii, Ludvelli opinio est. Quorum sententia ut de Jure Feudali, quale id scriptum habemus, verasit; si de praxi tamen hodierna quæratur, non dubitamus asserere tām ratione totius Feudi Regalis, quām ratione partis, in plerisque Europæ locis, subinfeudationem locum habere, quod posterius etiam Baldo, Rosenthalio, Sixtino, Dn. Reinkingio, Paurmesterio, Wolfgango Cratoni, Burggravio de Kirchberg, Horlachero, Scutzio utriusque, Clutenio, Matthiæ Stephano, & Besoldo placuit.

Sub-

V I I I.

Subvasallus feudum alienare cupit, cuius consensum requirere debet, an subinfeudantis, an Domini directi à quo primus Vasallus feudum habet? Domini directi & mediati consensum requirunt Clarus, Mynsinger, Rosenthal, & adducti jam à Fachinæo veterum aliqui. Sed immediati, qui & primus Vasallus est, consensum postulant, Menochius de præsumptionibus, Scenk Baro, Molinæus, Dn. Struvius, Scepliz, Klammer, Fachinæus, & Kohl *de subfeudis*. Utriusque accedere voluntatem jubent, Freccia *de subfeudis*, Sonsbecius, Bocerus, Finckelthusius, Gothofredus Antonius, Gothofredus, Suevus, Wolfgang Crato Burggravius de Kirchberg, & Sigismundus Horlacher. Nobis placet Hartmanni Pistoris, Jeremiae Reusneri, Schroteri *in Disput. Feudalibus*, ac Ludvelli distinctio, inter Feuda quæ ipsi Vasallo possidenda conceduntur, & deinde ab eodem alii infeudantur, & inter ea quæ feudo concessum subjecta à subvasallis possidentur, & aliis subinfeudari solent: in horum alienatione solius immediati Domini consensus sufficit, in illorum verò si ultra vitam subinvestientis durare debet Feudum, utriusque Domini mediati & immediati requiritur consensus, ut rectissime nostro Judicio Ernestus Wilhelmus Vogelius notavit; si non nisi ad vitam sub Investientis Vasalli durare debeat, illius consensus sufficit.

I X.

Refutationem Feudi, Domino volenti fieri posse, Controversia vacat. An etiam si nolit? Res ipsiis Cameræ Assessoribus, prudentissimis & selectissimis Ger-

mar.

maniæ JCtis', anceps visa est. Negat Schrader & Julius Clarus; Distinguunt inter Feudum ad certum servitium, & inter feudum ad nullum vel indeterminatum servitium datum, Jacobus de Belviso, & Camillus Borellus. Plurimi etiam invito Domino Feudum refutari posse judicant, quos post Vultejum, Rosenthalium, Mynsingerum, Obrechtum, sequuntur Ludwvellus, Suevus, & Dn. Tabor, peculiari disputatione de Refutatione Feudi von Abtretten des Lehens Anno 1651. Argentorati habita, iisque nos accedimus.

X.

Si Vasallus omnia Feuda Domino vel agnato refutet, an Feuda etiam impropria hujusmodi refutatio contineat, disceptatur. Curtius Junior & Schraderus contineri negant. Affirmat Dn. Tabor. Nos non dubitamus ejus sententia nostrum calculum addere.



X2615924

VdA7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


urn:nbn:de:gbv:3:1-557165-p0012-4

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	-------	---------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------



SARUM,

DALL,

RE VA.
IPRIMIS
T RE.

ITIO,

Brinckmann,

ISIL.

1665/72.

31

